



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 91. Leopoldi Archiducis exercitus a Juliacensis Ducatus Competitoribus
profligatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. qui Mauri ex Granata, Murcia, Ar-
 A. C. 1610. dalusia, Arragonia & Catalaunia, aliis-
 que Hispaniæ Regnis, & oppidis expulsi,
 pari forte in Africam translati sunt, quos
 inter non pauci bonis spoliati, ab Ara-
 bibus trucidati, vel diversas in terras,
 insuetosque sibi populos ejecti morbis,
 fame & mille moriendi viis interierunt,
 omnes ferme ubique male habiti, a Chri-
 stianis rejecti tanquam infideles & Apo-
 statæ, ab infidelibus tanquam Christiani.
 Ridiculum sane est, quod Hæterodoxo-
 rum potissimi hanc Maurorum ejectionem
 velut iniquissimam Hispanis expro-
 brent, & liberam Mahometanæ super-
 stitionis professionem hisce seditiosis im-
 pune concedendam fuisse asserant, cum
 tamen ipsi Catholicis publicum fidei
 suæ cultum in suis ditionibus inhibere,
 eosque e suo gremio propellere omni-
 bus viribus nitantur. Ceterum Da-
 mianus a Fonseca edito Romæ libro,
 cui titulus: *justa Morischorum ejectione ex
 Hispania*, Philippum III. Regem egre-
 gie vindicabat, hujusque expulsiõnis
 æquitatem luculenter demonstrabat.

§. XCI.

*Leopoldi Archiducis exercitus a Ju-
 liacensis Ducatus Competitoribus
 profligatus.*

Hæc

Hæc dum interim in Hispania gere-
bantur, Principes de Juliâcenti Co-
mitatu contendentes Leopoldum Ar-
chiducem Cæsaris Delegatum oppri-
mere toto studio adlaborabant. Hinc
die nona Januarii Glessam arcem, quam
præsidio firmaverat, necnon Sleidenum
oppidum armorum vi eripuerunt, capto
Mansfeldio Comite, qui illud propug-
naverat. Non multo post Fecialem
Cæsareum, qui Imperatoris mandata
affigere iussus erat, ablatis, quas secum
habebat literis, non sine maximo Cæsa-
ris contemptu captivum abducere at-
tentarunt: Præterea foedus, vi cuius
anno priori mutuam inter se auxilium
Tremoniæ polliciti sunt, non modo hoc
anno die vigesima septima Januarii Ha-
læ Suecorum confirmarunt, sed etiam
undecima Februarii die cum Henrico IV.
Gallorum Rege pro conservanda Julia-
centi possessione novam armorum so-
cietatem concluderunt, Leopoldo Ar-
chiduce interim die octava ejusdem
Mensis Calcosiam arcem occupante,
quam tamen paulopost Solmensis Co-
mes deditione facta recuperans, Bre-
denbendam arcem cingere cæpit, licet
hanc obsidionem non sine magna suo-
rum clade solvere coactus esset. Tum
vero in Leopoldum omnia Protestantium
arma fuere conversa, ac quidem vige-
sima

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

*Merc. Gal-
lobelg. l. 34.
pag. 171.*

H h 2

fima

Sæc. XVII. A. C. 1610. fina quæta Martii die universus Fœderatorum exercitus copias in diœcesi Argentinensi pro Leopoldo conscriptas dissipabat, Anhaltinus quoque Princeps & Henricus Nassovius ejusdem Archiducis milites inopinata vi oppressos in fugam agebant, belloque redintegrato uniti Principes Dachsteinium, Moltheimium, aliasque urbes, qua vi qua deditioe capiebant. Convenerant interea fœderati Principes Heilbrunnæ, & se pro libertate sua pugnatos denuo decreverunt, necnon Catholicis atque Ecclesiasticis, dummodo se eis non opponerent, sed pro libitu se omnibus bonis spoliari permetterent, securitatem spondebant, secus eos suis proventibus privatos, & velut hostes omnibus modis infectatos minitabantur: Equidem Dux Lotharingus & Argentinenses Status conventu Hagenœ habito adversus hostiles eorum machinationes reclamabant; incassum tamen, Fœderatis prius Leopoldi copias ex hac Diœcesi dimitti arrogantius petentibus: unde populationibus & mutuis militum excursionibus hæc Diœcesis misere vastabatur: Promulgatur Cæsaris mandatum de revocando Principum exercitu: at illud publice affixum petulanter dilaceratum est. Indicitur denuo Coloniae partium conventus, tentatur quoque utrin-

utrinque Reconciliatio, ea tamen lege, Sæc. XVII. A. C. 1610.
 ut Principes interim usurpatis cederent,
 & omnia in pristinum, quo obeunte
 Joanne Guilielmo Duce fuissent, statum
 restituerent: Verum Fœderatorum de-
 legatis id non modo acceptare recu-
 santibus, sed & Juliacensem arcem sibi
 tradi, omnibus modis urgentibus, to-
 tus conatus in irritum cecidit: Hortaba-
 tur rursus Cæsar Principes variis man-
 datis, ut possessione cederent, hi ta-
 men a Cæsare tanquam perperam edocto
 ad melius instruendum provocantes, ea,
 quæ vi ceperant, Gallorum, Belgarum-
 que ope tueri nitebantur: Præterea Lu-
 dovicus Archidux Pragam concessit,
 ejusque opera in conventu Principum
 quorundam, atque Electorum Mense
 Majo de compositione causæ Juliacen-
 sis deliberatum est, ibidemque nonnulli
 constituti sunt Cæsaris Deputati, qui
 unacum quibusdam Imperii Principibus
 causam dijudicarent.

§. XCII.

*Juliacum Neoburgico & Brandebur-
 gico Principibus vindicatum.*

Verum Protestantes omnem amicæ *Merc. Gal-
 compositionis viam respuebant, u- lobelg. ann.
 nice Cæsaris auctoritatem imminuere, tom. 6. l. 3.
 Domusque Austriacæ potentiam fran- Carafa
 gere Germ. p. 42.*

Hh 3